



OMINI triplicitatis ascendentis, & Solis cadentes ab angulis & infortuna in ascidente, ita quod eius fortitudo ad malum intenditur.

Luna in occidente posita, non habens aspectum fortunae, & quod in uno angulo sit infortuna, nascetur quidem, sed non uiuet una hora.

Si Luna in quadrato infortunarum fuerit, & alia infortuna aspicit ascendens, natus non habebit uitam.

Quando signum in quo fuit coniunctio uel oppositio precedens, & Alchoden, & dominus termini Solis & Lunae, & Ascendentis, & domini triplicitatis Solis de die, & Lunae de nocte, etiam pars fortunae, omnia haec infortunata fuerint, natus ex utero matris uiuus non egredietur.

Omnes planetae in sexta uel duodecima existentes, si eos dominus ascendentis non aspicerit, natus non fruetur uitalibus auris.

Luna cum Marte in Medio coeli cum quibusdam conditionibus supradictis, & maxime si infortunae fuerint domini triplicitatis ascendentis & Solis, natus egreditur mortuus, & frustratim.

Si fuerit Luna & Mars in ascidente, & Saturnus in occidente, natus egreditur mortuus, hoc tamen si fortuna non aspicerit Lunam.

Luna in occidente cum Marte, & Saturno in ascidente collocatis, & in conditionibus quibusdam supradictis, non uiuet natus per diem integrum.

### De natis qui uiuunt, sed non nutriuntur.



BI maior pars dominorum triplicitatum haec significantium, reperiatur infortunata in cadentibus ab angulis. Item si Luna coniuncta Saturno in eius triplicitate fuerit, uel aspiciat ipsum ex quadrato, natus uiuet parum, & erit malae nutritionis.

Eadem uero coniuncta cum Sole & Marte, breuem nato decernit uitam.

Si Luna inter duas infortunas posita, fortuna non aspicerit ipsam, parum uiuet natus, idque intellige etiam de infortunis stellis fixis.

Luna existente cum Sole in uno gradu, Saturnus aspicerit eos ex quadrato uel opposito, non nutritur.

Si Sol & Luna in uno gradu fuerint, natus non uiuet duabus horis. Applicatio domini ascendentis ad dominum octauae, abbreviat uitam & impedit nutritiorem.

Luna in Ariete in opposito Martis existente, si non aspiciat eam fortuna, erit natus debilis nutritionis, & uitae breuis.

Domino ascendentis & domino loci Solis & Lunae, & parte fortunae sub radibus Solaribus occultatis, natus erit paruae uitae.

Si caput draconis Lunae, & ambo infortunae in quarto ab ascidente fuerint, natus non nutritur.

Si fuerit Saturnus in ascidente, Mars in septima, natus uiuet parum, & natus habebit, donec uiuet.

Quando infortunae sece aspiciunt ex opposito, ita quod una sit in ascidente, & altera in occidente, & Luna in Medio coeli, uel in occidente, natus non diu uiuet.

Saturnus in oriente, & Luna in occidente, natus parum uiuet, & erit turpis.

Si fuerit Saturnus in oriente, & Venus in occidente, natus parum uiuet, additis alijs quibusdam supradictis testimonij. Nota quod magna uis nutritionis, est per dominos triplicitatis ascendentis & Solis in his quae dicta sunt.

De his